

1234. 77234  
Disputatio Ethica  
*De*  
**JUSTITIA ET**  
**JURE** 1633 3

*quam*

Gratiosâ Divini Numinis  
assistentiâ

*In Inclito ad Albinum Athenaeo*

P R A E S I D E

*Viro Reverendo, Clarissimo & Doctissimo*

Dn. M. GOTTFRIDO OLEARIO,  
Verbi Ministro & Facultatis Philosophicæ Adjuncto, Fautore suo & viternūm observando,

*Exercitij gratia elaboratam defendet*

SIGISMUNDUS FINDEKELLER,  
Dresdensis.

*Addiem 28. Decembris bor. conf.*


*In Acroaterio minori.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHI, Acad. Typogr.

Anno M DC XXXIII.



# IN NOMINE DOMINI NO-

stri J E S U C H R I S T I , ad omnia consilia,  
omnesq; Actus feliciter progredimur, l. 2. in pr.  
C. de offic. Praef. Præt. Afric.

## PRÆLOQUIUM.

**N**ullus homo tantâ Eloquentiâ est, neque tam divino atque incredibili genere dicendi præditus, qui virtutum omnium Principem Justitiam satis laudare, & non modò dicam, augere & ornare oratione, sed vel mente sufficienter complecti aut cogitando assè qui valeat. Nam nulla civitas, nullus hominum coetus, nulla vita communitas, sine illa esse potest. Hæc ipsa nobis religionem, patriæ charitatem, parentum pietatem, fraternum amorem, bonorum amicitiam ingenerat; Hæc honestè vivere, alterum non lädere, suum cuique tribuere docet. Quocirca cum de hâc amplissimâ virtute, brevem disputationem tenui quidem Minervâ, in lucem aspectumque proferre voluerim. Et vero Justinianeo piùm, justum, & solenne, de Sacratissimo Imperatore passim illud legamus, ut quotiescumque ad novum aliquem actum, vel novam quandam Juris-constitutionem progredi voluerit; semper ab invocatione Salvatoris nostri Jesu Christi exordiri solitus fuerit. Ego quoq; hanc velitationem Academicam in nomine Sacrosancta & individua Tri-

nitatis feliciter exordiar.

A 2

THE-

## THEISIS I.

Justitiam ab eo dictam censer Hottomannus, quod in  
jeajus sifstatur. Isidorus vult Justitiam esse dictam, qua-  
si Juris statum, quod in ea jus consistat. Festus Pompe-  
jus putavit dictam esse à Vi, per μετάθεσιν, id est, literarum  
transpositionem, ut Justitia, quasi Vistitia, quod vim sifst:  
quas literarum inversiones Latini habuere in multo usu, cum  
ex Græcis Latina facerent, & alij aliter. Sed Rever. Dn. D.  
Jacob. Mart. non minus scite, quam vere ait: id ipsum magis  
subtiliter dici, quam vere, lib. 2. Synops. Ethic. cap. 15. p. 377.  
Certum est. Justitiam quatenus vox est, derivari à Jure: si-  
cuit etiam Rever. Dn. Doct: Jacob. Mart. his verbis docet:  
Derivationem vocum ut vocum si urgeas, vera est illorum sen-  
tentia, qui statuunt justitiam derivari à jure: ita ut jus sit primi-  
tivum, & justitia derivativū, d. cap. 15. lib. 2. p. 374. Nam simplicius  
est dicere à Jure. Justum: justitiam à justo justi esse, additā  
particulā tia: sicut est à mœsto, mœsti, mœstia: læto, læti,  
lætitia, & si qua sunt similia. Neque refragatur Ulpianus in I.  
1 §. 1. ff. de Just. & Jur. dum inquit: Jus à Justitia appellatum.  
Respondemus enim, quod Ulpianus non loquatur de Gram-  
matica, sed de Logica notatione, quæ non tam verborum,  
quam rerum deductionem respicit. Grammaticus enim de-  
rivat Justitiam quatenus dictio, à jure: Logicus vero & se-  
cundum rem justus, & consequenter jus ipsum à Justitia de-  
ducit, Heid. Philosoph. Moral. part. 2. de Juſt. p. 832. Joban Aven. in  
Dodeca. 8 quest. 1. de justitia &c. alij.

## THEISIS II.

uarij &c. Justitiae quod attinet, varijs modis usurpatur. Et  
I. quidē generalissimē, quando etiam brutis animantibus tribui-  
tur. Ita Justi Delphines, qui plurimum de prædā relinquent  
illi, qui causa fuit capturæ, apud Äelian. lib. 2. de animal. c. 8.  
II. Pro Theologicā Justitia, tūm Legali seu Mosaica, tūm Ev-  
angelica seu Christiana, de quā Philosophi nihil præcipiunt.  
III. Usurpatur Justitia pro eo officio, quod defunctis exhibe-  
tur.

tur. IV. Pro æquitate quæ inter distributionem bonorum raptorum à prædonibus obseruat: Cic. lib. 2. offic. Tanta vis est, inquit, justitia, ut ea etiam latronum opes formet. V. & ultimo, usurpatur Justitia pro ea, quæ in communione hominum societate cernitur, quæ apti homines redduntur ad justas actiones, intentione & voluntate mentis percioendas, quæ significatio hujus loci est. Vide Rever. Dr. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 15. p. 377. & seqq. Christ. Liebenthal Colleg. Ethic. Exercit. 13. de Iust. & Iur. num. 4.

### THEISIS III.

Sequitur nunc definitio Justitiae, quæ apud varios varia reperitur. Ulpianus, Justitia, inquit, est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Est habitus animi communione utilitate conservatæ, suam cuique tribuens dignitatem, ut Cic. lib. de invent. 2. Alij aliter describunt. Nos hic Aristotelem probamus, qui justitiam ita definit: Justitia est ἔξις ἀρετῆς προστικὸς τῶν δικαιῶν εἰς τὴν αἴρεσθαι δικαιοπεγγυάτον καὶ βέλοντα τὰ δίκαια; id est, habitus, à quo justi agendi idonei sunt homines, & justè agunt & justa volunt. lib. 5. Ethic. cap. 1. Hanc definitionem resolvimus in genus & differentiam. Loco generis ponitur habitus: loco differentiæ verba in definitione reliqua. Differentia autem triplex intuitur. I. διωδημετως, facultatis, quod per hanc idonei reddantur, & apti ad justas, actiones. II. πρόξεως, actionis: non enim satis est habere facultatem agendi ea, quæ sunt justa, sed etiam facultatem agendi producere in actuum, & agere ea quæ sunt justa. III. θελήσεως, voluntatis: requiritur n. ut ipsa actio voluntatis adsit, Rev. Dr. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. c. 15 p. 378. & seq. Christ. Liebenthal Colleg. Ethic. Exercit. 13. de Iust. & Iur. num. 13.

### THEISIS IV.

Justitia opponitur Injustitia; quæ Aristot. est ἔξις ἀρετῆς αδίκηστος καὶ βέλοντα τὰ αδίκα, id est, habitus (a) quo injuste agere possunt homines, & injusta agunt, & injusta (b) volunt.

(a) Quod autem Aristoteles inquit: αδίκια εἰν εἴξις; injustitia est habitus, non formaliter, nam formale injustitia est:

A 3.

priva-

privativum quid) sed materialiter est accipendum. (b) In cæteris virtutibus omnibus duo dantur extrema, quæ nunquam simul in eodem subiecto vel actione concutunt, sed mutuo semper sibi sunt opposita, sic ut unum pellat alterum. Justitia vero unum duntaxat habet extrellum, nempe injustitiam, quod tam ita sese habet, ut locum duorum extremorum obtineat, tam ejus, quod est in excessu, quam ejus, quod est in defectu. Injustus enim in utroq; simul peccat, dum videlicet nimium sibi tribuit, simul etiam alteri minus, quam ipsi debetur, Rever. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 15 p. 379.

#### THEISIS V.

Justitia dividitur à Philosophis in universalem & particularem, id num recte disquisi solet? Et sunt qui negant, sunt & qui affirmant. Qui negant dicunt, quod Justitia particularis simpliciter non sit necessaria; qui universalis Justitia sufficienter instruat hominem ad bonum commune. Sed respondemus, Justitiam universalem sufficienter quidem instruens hominem ad bonum commune, verum hoc fieri non posse, nisi ad sit Justitia particularis, instruens hominem ad bonum respectu unius alicujus individui, sicq. Justitiam universalem presupponere particularem, Ioh. Avena. in Dodeca 8. quæst. 3. de Iust. Plura hac de re vid. apud Cas. lib. 5 spec. mor. cap. 2. Aegid. Strauch dec. 2. quæst. Ethic. 2. cent. 2. Velsen. Exercit. Ethic. Disp. 12. quæst. 3.

#### THEISIS VI.

Justitia (a) universalis (b) definitur à Philosophis, quod sit, quâ omnibus legibus ad publicam societatis conservationem obedientia præstetur.

(a) Ab Aristotele vobis &c. legalis Justitia vocatur; quia se extendit ad omnes leges; in quibus virtutis præcepta comprehenduntur, Rever. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 15. p. 380. Heid. Philosoph. Moral. part. 2. de Iust. p. 837. & seqq. Christ. Siebenthal Colleg. Ethic. Exercit. 13. de I. & I. num. 6. Dicit autem hæc à cæteris virtutibus non re, sed tantum ratione, Rever. Dn. D. Jacob. Mart. d. 1. Hinc recte Burecanus Justitiam

etiam à ceteris virtutibus specie non differre, sed tanquam totum à partibus. *Vid. plur. d. l.* (b) Et est nimis univerisalis justitia absoluta & perfecta domina & regina omnium virtutum, & qua omnes virtutes sub se comprehendit, qua neque Hesperus, neque Lucifer majorem excitat admirationem, juxta versiculum Theog. quem citat *Arist. lib. 5. Ethic. c. 3.*

*Ex dē δικαιούντων συλλόγοις δέδειν πάσας αρπήν.*  
*Justitia in se virtutes coniinet omnes.*

THESES VII.

Justitia particularis est, quæ in distributione & commutatione bonorum sive malorum externorum justam servat & qualitatem (a) quâ uicuique id tribuitur, quod ei debetur.

(a) Vocab autem eam Aristot. *ἰσόντα την* qualitatem, quia  
equalitatem servat in dando, lib. 5. Ethic. cap. 1. Jurisconsulti  
definiunt, quod sit constans (b) & perpetua (c) voluntas (d)  
jus suum euīque (e) tribuendi. Hanc definitionem reprehē-  
dit Agricol. lib. 2. de inventione Dialect. c. s. quem citat Reverend.  
Dn. D. Iacob. Mart. Sēpē d. l.p. 382. ubi & rationes ejus exhibet.  
Quoniam verò hæc Ulpian. JC. definitio, quam habet nō tan-  
tum ab omnibus fermè JCtis recepta est, verum etiam longo  
usu freqūtata & Philosophorū explicatione approbata ean-  
dem ut sensu conformem ei quæ in thesi data fuit, faciliè re-  
tinemus. (b) non intelligimus absolutissimam & perfectissi-  
mam constantiam, quæ solius Dei est, qui solus est immu-  
tabilis, Malach. 3. vers. 6. sed constantiam, quæ in hominem  
cadere potest, quamque naturæ humanae imbecillitas ad-  
mittit. (c) Perpetua dicitur, non ratione existentia, sed  
essentia, Christ. Eisebenthal Collég. Ethic. Exercit. 13. quæst. 3. u-  
no verbo: constantem ac perpetuam voluntatem non stri-  
ctæ.

ctè, sed latè usurpamus. (d) voluntas non propriè, sed metonymicè, subjectum pro adjuncto, neu pe prohibitu voluntatis, Christian. Liebenthal Colleg. Ethic. d. Exercit. 13. de Iust. & Jur. quæst. 3. Hinc Cic. virtutem constantem & perpetuam rationem vitæ vocat, lib. i. de LL. (e) servans & qualitatem, cum cæteris hominibus, & debitum cuique reddens: cui tributum; tributum; cui vestigal, vestigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; Rom 13. v. 7. nec cujusquam corpori, famæ, bonis, injuriam ullam inferens.

#### THEISIS VIII.

Justitia particularis, porro in commutativam & distributivam dividitur: ex mente Arist. Ethic. 5. Nicom. c. 4. Rever. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 15. p. 360. Nicol. Hunn. Exercit. Ethic. diff. 9. p. 192. Christ. Liebenthal Colleg. Ethic. Exercit. 13. num. 20. vid. prolixè Dn. Aven. Dodec. 8. de Iust. quæst. 4.

#### THEISIS IX.

Justitia commutativa est virtus, quæ in commutatione rerum servat & qualitatem: atque id, quod in rebus permundis inæquale est, corrigit, Rever. Dn. D. Jacob. Mart. sèpè citat. loc. p. 361. Seu quod ad idem recidit: Justitia commutativa (a) est virtus, in contractibus & rerum permutatione, nullo habito respectu personarū, & qualitatem observans, ut unusquisque suum consequatur, & nulla pars defraudetur, Christ. Liebenthal Colleg. Ethic. Exercit. 13. de I. & I. num. 21.

(a) Vocatur alibi διορθωτική, correctiva, quia res permundæ sunt diverse, & plerumque inæquales, deò ut justa possit fieri permutatio, necesse est ut prius illa inæqualitas tollatur, & quodammodo corrigatur, ut in permutando neutri partiat inuria, & ne una pars magis accipiat, quam dederit. Jure enim naturæ & quum est, neminem cum alterius detimento & inuria fieri locupletiorem. Exempli grat. Si emptor illustri loco sit positus, venditor plebeius & rusticus, non ideo ob inæqualitatem personatum, inæqualitas rerum admittenda erit; sed precium merci mercedem usui & opere, res rebus commensurari oportet: & si quid inæqualiter constitutum

tutum fuerit, id ad æqualem rerum valorem est reducendum.  
Hanc justitiam commutativam Anabaptistæ exterminandam  
cupiunt: dum omnia permutationem (inter ejusdem Reli-  
gionis homines)emptionem & venditionem, negotiationem  
seu mercaturam, tanquam homine Christiano indignam da-  
mnant. Sed cum Sacro Sancta Scripturam paulisper percurri-  
mus, aliud invenimus. Confer Exod. 20. v. 15. 1. Cor. 7. v. 30.  
1. Thess. 4. v. 6. Johan. 4. v. 8. Act. 16. v. 14. item Theologos  
in Loco de magistratu &c. *Tholos de Repub. l. 4. c. 7.*

THESES X.

Justitia distributiva (a) est virtus, quæ in distributione  
honoris, pecunia: item laborum, officiorum & pœnarum (b)  
acaliorum bonorum sive malorum externorum, quæ inter ci-  
vies tribui solent, & dignitatis personarum & æqualitatis re-  
rum rationem habet, atque quod singulis pro eorum merito  
tribui debeat, decernit. Rever. Dn. D Jacob. Martin. *Synops. E-*  
*thic. cap. 15. p. 360.*

(a) Justitia distributiva dicitur à distribuendo, eò quod  
inter personas, publicas res, puta honores, munera, præmia,  
pœnas, geometricæ æqualitate, hoc est, & personarum, digni-  
tate & terum collatione facta, suum unicuique tribuit; bre-  
viter: servat æqualitatem non rei ad rem (ut commutativa,  
quæ servat Arithmeticam proportionem secundum æqualem  
quantitatis excessum, ut tantum quis reponat, quantum acci-  
pit, absque discrimine status & dignitatis in personis) sed rei  
ad personam. Exempl. grat. plus est obediendum Deo, quam  
hominibus; in bello duci plus dandum, quam militi. (b) Hinc  
notandum est. I. Factum ipsum. II. Pœna. Factum meretur  
pœnam, non nisi dishonestum. Factum aut ratione substantiæ  
sue consideratur, aut suarum *æficiæ*. Si alterutro, vel  
etiam utroque modo vitiosum fuerit, pœnam meretur. II.  
Crescentibus delictis, crescant pœnae. Quod tamen non intel-  
ligendum ac si absolutè pœnae possent extendi, sed cum limi-  
tatione certa: ita enim debent crescere, nec genus pœnae planè  
immutetur. Dn. D. Nicol. Hunn. *Exercit. Ethic. disput. 9. p. 203.*

MB 2. V

B

Ara

Anabaptistæ hanc distributivam Justitiam, quoque tanquam  
à Christianis maximè alienam, malitiosè arrodat; nos tamen  
ut pote qui publica judicia nospiam probabit, magistratum  
à Deo ordinatum, Rom. 13. v. i. eique judiciorum exercitia com-  
mendata, Rom. 13. v. 4. quin & à Paulo ad Cæsaris judicium  
atque tribunal provocatum novimus, Act. 25. v. 10. Politica  
judicia, adeoque pænarum ac pæniorum distributionem, lau-  
dabilem, nec ulio prætextu reiciendam ducimus.

#### THEISIS XI.

Sunt qui putant, Jus dictum esse quasi iōv, hoc est va-  
gum; aut ab illa tragica ejulatione iōg; vel ab Iove quasi Pa-  
tre Juris, Scipio Gentil. lib. Sing, orig. p. 267. Alij quod JUS  
quasi JUXTA sit, propter æqualitatem, quam ubique obser-  
vat: Alii à Jussu seu Jubendo; Rodol. Agric. de inventione lib.  
1. Nam Festus ait, antiquos jura dixisse iussa. Alij à jurando,  
ut Galeotus Martius lib. 2. de promiscua doctr. c. 28. & rursus alijs  
cum Ulpiano Jus à Justitia, derivant. l. 1. pr. de Jus. & Jur. Sed  
hic iterum distinguendum est inter Grammaticam & Logicam,  
veram & allusivam derivationem. Vide plura apud Rever. Dn.  
Doct. Jacob. Mart. Synops. Ethic. lib. 2. cap. 16. p. 406. Gutkius disq.  
Præct. general. disq. 12. th. 2. &c.

#### THEISIS XII.

Varias ac multiplices Juris significationes, legimus apud  
J. Cros & Philosophos. I. Sumitur pro ἡγεμονίᾳ, authoritate seu  
privilegio, omnium consensu alicui concessio, ut notat Rever.  
Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 16. p. 406. Gutkius  
disq. Præct. General. disq. 12. th. 3. II. Pro necessitudine: Sic jus  
sanguinis, adoptionis, agnationis, affinitatis, id est, beneficia  
sanguinis, adoptionis, affinitatis, agnationis jure competen-  
tia. III. Pro loco, in quo jus redditur. IV. Impropria signi-  
ficatione jus per metonymiam contenti, significat artem juris.  
V. Sumi-

V. Sumitur pro rei aliquis qualitate. VI. Sumitur pro facultate, ut in definitione usus fructus, de qua Philosophi nihil agunt. Si plura homonyma expertis, aspice quem laudat Rever. Dn. D. Doct. Jacob. Mart. Johannem Monachum & alios recentiores JCros. Nos autem hic jus pro legis praescripto, quod in iure societatis usu recta praescribit ratio, sumimus Rever. Dn. D. Jacob. Mart. d. l. p. 412. Gutz. d. l. tb. 5 Synonyma Rever. Dn. Doct. Jacob. Mart. diligenter comportavit, d. l. p. 404. ad quem remississe sufficiat.

### THEISIS XIII.

Definitio Juris à Philosophis & aliis varia traditur. Alii qui definitiōnēt; quod Jus sit iustitiae effectum, quod in iure societatis usu hominibus recta praescribit Conan. lib. 1. comment. Jur. civ. cap. 3. num. 6. Jus est, inquit, praescriptum de iis rebus, quae in iure recte ac honeste tenenda ad alterum potissimum pertinent, & alii aliter. Cum Rever. Dn. D. Jacob. Mart. transibimus, qui ita definit: Jus est iusta quædam actio, & iustum factum à Justitia profectum, lib. 2. Synops. Ethic. cap. 16. p. 403.

### THEISIS XIV.

Dividitur autem, Jus ab Aristot. in Politicum & Oeconomicum, lib. 5. Ethic Nicomach. cap. 6. Jus Politicum (a) est, quod ab illis, qui liberi sunt, & æquales (b) societateq; quadam inter se devinet, ad rerum necessiariorum suppeditationem colitur, Rever. Dn. Jacob. Mart. lib. 2. Synops. Ethic. cap. 16. p. 403. quem secutus est Gutz. Diff. Pract. general. diff. 12. tb. 6.

(a) Aliqui Jus Politicum etiam jus civile nominant, adeoque Aristotelem JCtis opponunt, sed frustra; siquidem confundunt terminū Græcum Politicū, cum Latino civile, illosq; planè Synonymos faciunt; in quo tamen graviter hallucinatur. Nam Politici vocabulum latius patet apud Græcos quam civile: apud politicum universale est quorumvis hominū liberorum

rorum, civile particolare certorum civium. Vide plura apud Rever. Dn. D. Jacob. Mart. d. l. p. 412. & seq. (b) Subjectum juris Politici sunt homines non quisvis & cuiusq; conditionis, (servis enim rem in judicium adversus dominos suos deducere non licet) ed liberi & proportionata aliqua sibi æquales. Num autem recte subdividatur hoc Jus Politicum in jus naturale & Jus civile seu legitimum quæritur? Affirmantem sententiam amplectimur.

#### THEISIS XV.

Jus naturale (a) est, quod ubique gentium idem valet, & quidem sua vi & per se, non verò quia ita aut ille statuat, non ex opinione sed veritate. Rever. Dn. Jacob. Mart. lib. 2. *Synops. Ethic. cap. 16. p. 404.*

(a) JCTi hic cum Philosophis non conveniunt, Ratio est, quia isti vocabulum Juris latius accipiunt, tribuentes illud omnibus animalibus; hi autem strictius & propriè voce Juris utentes, non brutis sed solis hominibus ascribunt. Nam illud propriè jus est, quod cum ratione est coniunctum, intelligique ab homine potest: Bestiae verò rationis expertes sunt; igitur à communione juris merito exterminanda. Rever. Dn. Doct. Jacob. Mart. d. l. pag. 415. circa hæc notantur principia juris naturalis uti sunt: I. Deum colere, ratio est, quia autor est omnis boni operis & ordinis, 1. Cor. 12. v. 6. II. honestè vivere. III. neminem laedere. IV. suum cuique tribuere; Ratio est, quia hoc jus discrimen honestorum & turpium docet, æternum, perpetuò sibi constans & immutabile est. Plura principia Juris Naturalis sub quo etiam Jus gentium comprehendit, Vide sis apud Heid. in Philosoph. Moral. part. 2. de Jur. p. 884.

#### THEISIS XVI.

Jus legitimum (a) est quod priusquam decreto sancitur, sic indifferens, ideoque perse sua vi non valet; sed hominum instituto, pacto & conventu, Rever. Da. Doct. Jacob. Mart. lib. 2. *Synops. Ethic. cap. 16. p. 404.*

(a) Hoc

(a) Hoc à natura non est, sed hominum authoritate sanctum, certis legibus comprehensum, & ad naturæ jus probabili ratione additur, *Guth. Disp. Præl. generali*, *disp. 12. tb. 17.* Exemp. gr. Lex naturæ dicit: furem esse puniendum, nec prænam determinat; Legislator verò probabili ratione rem determinans, furem suspendendum esse assertit. Id quod non contrariari legi naturæ autem. Vide plur. apud Rever. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. *Synops. Ethic. cap. 16.* p. 417. Hic notandum est, Jus legitimum iterum subdividi in commune & singulare; an recte, queritur; Affir. cum Philosophis. Jus enim communne est, quod in omnes cives constituitur, Jus singulare autem est, quod in certas personas statuitur; cujus generis sunt omnia qua JCti vocant privilegia. *Guth. d. l. tb. 19.* Vide plura apud Rever. Dn. D. Jacob. Mart. *sæpe d. l.* p. 418.

### THEISIS XVII.

Jus Oeconomicum (a) est communio & societas vita eorum, qui ejusdem (b) sunt domus, ad generis propagacionem (c) & domesticorum sustentationem instituta, Rev. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. *Synops. Ethic. cap. 16.* p. 404. & seq.

(a) Jus Oeconomicum dicitur Jus, non simpliciter sed secundum quid, quatenus nimis similitudinem quandam habet, cum jure Politico. Inter domesticos enim non valet iniuria, quæ non nisi erga alienos exerceri potest, neque domestici habent leges, quæ omnes æquales obligant. Reverend.

nec non Excellentiss. Doct. Jacob. Mart. *dict. loc. pag. 419.*

(b) inter quos numerantur. I. Conjuges, qui sibi invicem præstate debent: i. amorem, de quo Apostolus Paulus præcipit, *Colos. 3. v. 19.* Hinc dicitur: derelinquet homo Patrem & matrem suā, & adhæredit uxori sua, *Gen. 2. v. 24.* II. fidem & operam turn in administratione rei familiaris. Viro n. potissimum incubit a equitatio & defensio, mulieri custodia & dispensatio: Ille foris utplurimum, hæc domi quod sui muneric exequitur.

B 3 Xenophon.

Xenophon in Oecon. c. 12 & 13 Arist. in Oecon. c. 3 tunc in fundendis  
ad Deum precibus, & omnibus exercit is ve. & pietati. Matt. 18.  
3. P. u. a. habet Heid. in Polit. d. cap. pag. 54 & seqq. Hæc marito  
obedientiam præstare tenetur, i. Terr. 3. v. 6. Sicut maritum rei  
familiari augendæ, operam dare & magistratum gerere, uxo-  
rem domiliberos enutrire, ancillas & instrumenta domesti-  
ca polire & disponere decet, Rever. Dn. Doct. Jacob. Mart.  
lib. 2. Synops. Ethic. cap. 16. p. 421 II. Domini & servi, quorum  
officium est cum simplicitate cordis, cum timore ac tremore  
obedientiam benevolentiam & servitatem præstare, & ut ex  
animo opus fiat, Apost. Paul. ad Ephes. 6. v. 5. 6. 7. & Coloss. 3.  
vers 22. & seq. Quæ domini ministris debent. I. Cibus;  
nam ita ait Ecclesiast. cap. 33. v. 25. Afinis pabulum & bacu-  
lus & onera. Servo victus & castigatio & opus debentur,  
Heid. in Polit. c. 1 p. 209 II. Solutio mercedis; dignus enim est  
operarius mercede sua, Levit. 19. v. 13. Deut. 24. v. 14. Matth. 10.  
v. 10. Aven in Synops. Oecon. cap. 4. th. 16. lit. A. III. Remissio de-  
bitorum, ad Ephes. 6. v. 8. & seq. Rever. Dn. Doct. Jacob. Mart.  
lib. 2. Synops. Eth. cap. 16. p. 421 III. Parentes & liberi, qui à  
parentibus sunt alendi, ducendi & educandi ad Ephes. 6. v. 4.  
ad Collos. 3. v. 21.

### THESES XVIII.

Opponitur tandem Jurii injuria (a) qua Juvis violatio est,  
cum à sciente ac volente alicui invito. (b) præter meritum  
damnum inferatur, Rever. Dn. Doct. Jacob. Mart. lib. 2. Synops.  
Ethic. cap. 16. p. 405.

(a) Dicitur injuria quasi qua non jure fit, omne enim quod  
non jure fit, injuria fieri dicitur. §. 1. Inst. de injur. (b) Dicitur  
autem invito, quia volenti non sit injuria. Intelligatur autem  
hoc. 1. De pertinaciter delinquentे, & poenas tuente. 2. Ita  
accipiatur, quod nullus volens voluntate expressâ, integrâ,  
simplici,

simplici, & liberâ injustum velit aut patiatur. Tataretus 5. Ethic.  
Gutk. Diff. Præt. general. diff. u. Axioma. i. de Iur. & Injur. Ali-  
as volenti potest fieri injuria quintuplici modo. Vide pluri-  
bus verbis Dn. Doct. Christ. Matth. in System. de Injuriis, & a-  
lios. Tandem fit injuria re, verbis, literis. Re, quoties manus  
inferuntur: verbis, quoties non inferuntur manus; sed convi-  
tum fit. Literis, id est, famosis libellis, vel famoso car-  
mine sive componendo, sive edendo sive scri-  
bendo sive procurando. Vide  
plene JCTos.


Gloria Tibi Domine JESU, qui  
es omnia, & super omnia, & per  
omnia, Scal. Exercit. 365.

Sect. 2.



Chorus Tipp Doublet [ES II, d]p  
as quins, as nips, quins, Q. los  
as quins, my perry, V.






**ULB Halle**  
004 961 196

3



WOMT



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres  
Inches

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19



1234 7854  
**Disputatio Ethica**

Dc

16  
39

**JUSTITIA ET  
JURE** 1633 3

*quam*

Gratiosâ Divini Numinis  
assistentiâ

*In Inclito ad Albitum Athenæo*

P R A E S I D E

*Viro Reverendo, Clarissimo & Doctissimo*

**Dn. M. GOTTFRIDO OLEARIO,**  
Verbi Ministro & Facultatis Philosophicæ Adjuncto, Fautore suo & viternūm observando,

*Exercitij gratia elaboratam defendet*

**SIGISMUNDUS FINDEKELLER,**  
Dresdensis.

*Ad diem 28. Decembris bor. conf.*

*In Acroasterio minori.*

WITTE BERGÆ,

Typis AMBROSII ROTHI, Acad. Typogr.

Anno M DC XXXIII.